

GADDUS

de saeculi fastidio

Mediolani in hortis montanellianis de monumentis latinitatis in Caroli Aemilii Gaddi scriptis sermocinantur Iovianus et Rutilius architecti.

Iovianus - *Saepe numero, Rutili, obici audio architectis quod omnia tractent perfunctorie, nihil penitus addiscant, multa garriant, quae forte in eorum buccam venerint: neque eos esse homines unius libri, ut sapientem decet, qui singulae rei intentus, non hac illac licenter pervagatur; sed plurium lectione librorum obiter delectari, ita ut nescias unde illorum scientia fluxerit, siqua ex tanta rerum congerie superest.*

Rutilius - *At haec Vitruvius ipse praeceperat: et litteras architectum scire oportere, et graphidos scientiam, et geometriam; tum opticen, arithmeticen, historiasque; deinde philosophiam, musicen, medicinam, astrologiam ...*

Iovianus - *Concedo sane ita praecepisse structorum patronum; neque ideo immerito nos architecti pantologi a quibusdam appellamur; sed sive virtus ea est sive vitium, multifaria atque confusanea doctrina, quae nobis obicitur, profecto tibi quoque, Rutili, referri potest, qui per intervalla insaniae aedificatoriae in Gaddum tuum studiosissime incumbis. Quamquam probe novi non eum abs te obiter leviterque sed sollerter atque constanter adamari. Quum vero detur nobis otia una terendi, hic sedentibus in caespite, ut assuevere veteres philosophi, de Carolo Aemilio Gadda disputare tecum velim. Amoenus est enim locus amicorumque sermonibus aptus, umbra platanorum arcet aestus meridiei, auriculae cantibus avium atque interfluentis euripi murmure mulcentur. Praeterea, si licet parvulis conferre magnos, his ipsis in hortis Alexander Manzoni, anno aetatis suae LXXXIII, occasionem ab avibus nactus, quas in cavea inclusas adspexerat, carmen latinum composuit.*

Rutilius - *Memini distichi a quo incipit carmen:*

Fortunatae anates, quibus aether ridet apertus
Liberaque in lato margine stagna patent !

Volucres enim visae ei sunt quasi anatibus invidere, quod liberae natarent in stagno .

Iovianus - *Neque vero Manzonius tantum, sed alii etiam poetae, quorum fama Italorum litterae illustrantur, hoc in viridario errare solebant; nam, ut est memoriae proditum, Josephus Parini tiliis, quibus hortorum xysti sunt adhuc utrimque consiti, valde delectabatur, et Hugo Foscolo diu in caespite cogitabundus sedebat, ut patriae leniret desiderium.*

Rutilius - *Tantorum virorum Manibus hic nobis afflantibus, licebit ideo lumen nostri saeculi memorare.*

Iovianus - *Euge! Scis enim quantopere Gaddus ille tuus sit mihi quoque in deliciis. Age igitur, o diserte artifex, de moneta tua aliquid Gaddianum nobis excude; quamquam metuo ne modus sit materiae imponendus, quae latissime ne dicam infinite patet.*

Rutilius – *Quando mentionem de Manzoni versibus latinis fecimus, dicamus de vestigiis latinitatis, quae passim in Caroli Aemilii Gadda scriptis pressa deprenduntur.*

Iovianus – *Modum dixi esse imponendum, sed tu mihi videris flosculos tantum eosque minutissimos e tam magna silva colligere velle.*

Rutilius – *Si non praetor, at litterator de minimis curare debet; sed ego, qui ab architectura saepenumero soleo ad litteras revocari, non tam exerceri eruditionem meam tecum, quantula ea est, vel flosculos latinos passim in Gaddi libris dispersos carpere, sed tanti viri ingenium varium ac multiplex animo comprehendere cupio, quod etiam e minutiis elucere reor. Ceterum probe nosti quantopere colam eum atque diligam.*

Iovianus – *Sane bene: haec est namque causa cur te, Rutili, audire malim, qui tanto incenderis studio, quanto vix subtiles sed frigidi indagatores. Aperi sis primo quale tua quidem sententia fuerit Gaddi ingenium, tum veniamus ad vestigia latina.*

Rutilius – *Anxiam dixerim ejus indolem, inquietam, meticulosam, sollicitam; Gaddus enim, quasi saeculo suo imparem semet existimaret, ab hominum consortio abhorrens in solitudinem quandam secedere malebat, quam imperita garrulaque stipari multitudine.*

Iovianus – *Illud videlicet Horatii repetebat profanum vulgus arcentis; nonne hoc ipsum latinitatis vestigium non leviter in ejus animo impressum et quasi insitum?*

Rutilius – *Recte mones, si mores respicis; sed aliis etiam vestigiis ejus latinitatem persequi licet. Nam quantum momentum habuerint apud Gaddum litterae latinae ex omnibus scriptis elucet, ut quivis legendo facile comperiat. Hic tamen initia et finem adumbrabare me juvat et, modo quodam praepostero, quem profecto ipse probaret, exordium sumam a vitae exitu, seu potius a sepulcro.*

Iovianus – *Bona verba, amice! Nonne vero, nedum a sepulcris, certe a sepulcrorum cantore erat noster aversus? Meministin quam acerbe Hugonem Foscolo momorderit?*

Rutilius – *Memini. Tamen, qua fuit pietate, quattuor titulos in sepulcris inscribendos curavit Carolus Aemilius: patri amantissimo, Henrico fratri, cujus numquam non luxit interitum, Adelaidi matri, sibi ipsi. Quum autem familiaribus italice dictasset titulos, sibi breviloquentia latina consuluit: nomini enim suo annisque, quibus vitae termini indicantur, adici jussit duo verba: CONDIDIT PIETAS.*

Iovianus – *Erat scilicet studiosissimus sermonis Romanorum, siquidem ei extremum vale mandavit.*

Rutilius – *Quin etiam ille calluit linguam litterasque latinas, ut in homine liberaliter educato: hoc nempe non solum ex ipso genere scribendi coniectura facile assequimur, verum etiam probatur documentis, quae quidem pertinent ad initia. Adulescentulus enim, studiorum maturitatem adeptus Mediolani in lycio pariniano anno MCMXII, ob merita secundo praemio dignus est habitus: novem namque puncta tulerat in lingua latina; quippe vero tunc temporis imperabatur discipulis, qui periculum maturitatis subibant, ut aliquid verterent non modo ex latino, verum etiam ex italico, ac diu instanterque eos magistri, ut cujusque scientiam probarent, percontabantur! Pratero reliqua Caroli Aemilii puncta, qui decem scilicet tulit de Italorum litteris interrogatus.*

Iovianus – *Sed hoc aliis etiam scriptoribus commune, immo fere omnes ejus aequales, qui scholas in lyciis audissent, erant latine docti; ut in exemplum ex familiaribus meis pauca subiciam, scito avum meum medicum, qui haud secus atque Gaddus in priore bello mundano militaverat, fere octogenarium adulescentulo mihi quindecim annorum epistolum scripsisse latine; pater etiam meus, sicut Gaddus et lycii Pariniani alumnus et doctor machinarius, complures Ovidii ac Phaedri versus, qui in proverbium cesserant, usque ad multam senectam memoriter pronuntiare solebat; quid autem de avunculo centurione, vix litteris imbuto, qui mihi puerulo sacro chrismate initiato his verbis libellum dicavit: “felices sint dies tui bonisque operibus repleti”? Talis fuit mos illius saeculi.*

Rutilius – *Recte mones; nam studia in lycio feliciter peracta fundamentum quoddam eruditionis jecerunt, sicut aliis quoque ea aetate contigerat, sed in sublime attollitur quasi turris, ut ita dicam, Gaddi consuetudo latina, quemadmodum conicitur non modo e compluribus veterum scriptorum locis inter ejus scripta interiectis, vel e proverbiiis scommatisque hic illic prolatis, verum etiam ex verborum delectu atque comprehensione, quae excultiore sermonem latinum redolere videntur, sive ille in aemulando Cicerone luxuriatur, sive tacitiana studet breviloquentiae.*

Iovianus – *Verborum delectum, ni fallor, et fontes latinos, unde limpham ille suam derivavit, alii diu multumque pervestigarunt.*

Rutilius – *Est ut dicis; nunc vero habemus ad manum, fere scribae loco, praevalida instrumenta informatica: nam qui forte thesaurum scrutatur, quo continentur ejus opera, brevi deprendit quotiens idem vocabulum in Gaddo, quotiens apud quemvis scriptorem romanum occurrat: ut feram exemplum ab Horatio –expertus dico, qui nuper hoc inquisivi- vox corporis duodevicies apud illum, septies tantum apud hunc reperitur. Sunt autem qui, adsidua librorum lectione memoriaque innixi, omnes fontes repetierint, ex quibus Gaddus rivulos ad se deduxerat: quidam Vergilii seu Catulli versus, quos ille est imitatus vel quasi gemmas in orationis contextu abdidit, recensere; alii verba ejus cum scriptorum locis, unde ille ea decerpserat, conferentes, supercilio notarunt quatenus antitypos differret ab exemplare; alii denique eo venerunt ut vocabulorum inirent numerum, quibus ille potissimum est usus, eaque pro cujusque frequentia ordinarent.*

Iovianus – *Probe novi consuetudinem grammaticorum, qui interdum umbras vel, ut ajunt, ineptias elegantes aucupari velle videntur.*

Rutilius – *Cur ita mordes grammaticos, o Zoile?*

Iovianus – *Equidem ego non sum grammaticomastix, sed metuo quorundam molestias, quibus interdum litterarum studia dissuadent. Sed, ut vesaniae exemplum proferam, hoc tibi narro, quod ante viginti ferme annos bilem movit meam. In Vivaria insula, quae brevi freto a Procytha separatur, praeceptorem quemdam diutissime disserentem audiui –nos amplius detinuit horae dodrante- de Ciceroniano somnio Scipionis; sed audi quam belle: se accurate numerasse, instrumento ordinatorio adhibito, quotiens vocabulum “inniti” in Ciceronis operibus occurreret, ac vidisse in Somnio multo saepius id usurpari, quam in ceteris scriptis; causam exquirenti hoc sibi esse demum persuasum, Ciceronem vocabulo innitendi Somnium suum consulto frequentasse, ut occulte laudaret Scipionem, quoniam “scipione”, hoc est baculo, inniti solerent homines! Talia vate illo effato, nos prae stupore conticuimus, sed non dubitavimus quin in chachinnos erupissent Tullii Manes!*

Rutilius – *Noli esse, Joviane, aequo acerbior in eos, qui minima quaeque perscrutantur : nam etiam ex minutiis constat arduus philologorum labor, quo innutrientur omnes intelligentes ; ceterum si tibi eorum nomina significavero, qui latinitatem Gaddianam sunt persecuti, videbis eos non esse umbraticos doctores, sed viros perquam eruditos omnique instructos doctrina.*

Iovianus - *Quinam isti sunt ?*

Rutilius – *Tantum ut praecipuos nominem, Antonius La Penna, Hugonis Henrici Paoli latinissimi illius alumnus, de Gaddo multilingue, utpote qui graeca latinaque italicis admiscuisset, disputavit ; Dantes Isella scriptores latinos ab illo maxime dilectos recensuit ; Henricus Flores latinitatis vestigia in Doloris Cognitione impressa subtiliter consideravit; Emmanuel Narducci librum de eo scripsit, cui titulus Gallina Ciceronis significanter datus est; Petrus Paulus Pasolini locum e Doloris Cognitione excerptum callidissime interpretans, subiectum Ciceronis exemplar in hypotaxi deprehendit et in tenore orationis agnovit scriptorum imitationem, qui saeculis XV et XVI litteras renovarunt. Sed memorandi sunt etiam alii, quorum Continuus fortasse principem obtinet locum.*

Iovianus – *Certa cuncti laude digni. Nostrum autem non est tantos viros investigando aemulari, quorum calceos, ut est in proverbio, ligare non ausim; neque volo abs te rescire vestigia latina in operibus Gaddi vel levissime impressa, de quibus non dubito quin illa lumina, quae modo memorasti, uberrime egerint fuseque. Quaero autem causam cur tam arte ille adhaeserit latinitati.*

Rutilius – *Hoc si quaeris, e quieto philologiae portu solvendum erit atque in turbido pelago psychologiae navigandum. Quamquam intima consilia Carolus Aemilius numquam celavit, ut facile animadvertunt, qui vel obiter voluunt ejus libros: nusquam enim ille, quid de aetatis suae moribus sentiret, reticuit. Praetereamus sane librum invectivum, cui titulus Eros et Priapus, quo libro bilem diu retentam in fascium restitutorem asperrime evomuit; sed ex omnibus fere scriptis certo cognoscitur saeculum insipiens visum ei esse et insulsum et inficetum. Neque vero ille, qua erat humanitate, homines ipsos per se aspernabatur, quibus quidem curiose, quamvis morose, plerumque indulgebat, sed eorum consuetudines oderat et tempora et mores. Etenim stomachabatur vitiis, in quae sensim pedetemptimque labimur; et opinionibus, quae probantur in vulgus; et clamoribus, quos imperita tollit multitudo; sed maxime, ut ipsius memorem enuntiatum, quo perbelle Italorum notavit garrulam desidiam, "interminata chordarum fricatione" gravari se fatebatur. Haec omnia nempe oderat et arcebat Carolus Aemilius noster; haec ejus animum remorabantur a scriptione ac voluntatem a studio retrahebant; haec nervos ipsos elidebant, quorum contentione saepe eum laborasse et amicorum rumores et ipsius epistulae testantur.*

Jovianus – *Gaddus, ut sentio, sibi ipse videbatur quasi in obsidione teneri, unde nullum sperabat effugium; ac quidem, praesertim dum angoribus conficitur, cingi se undique obsessoribus imaginabatur.*

Rutilius – *Quamquam fuere interdum qui re vera eum vexarent, velut mulierculae importunae, editor morae impatiens, librorum censor ineptus, institor clamorosus, musicus circumforaneus, absonus stridulusque cantor...*

Jovianus – *... geometrae qui villulas horridulas ad Helveticorum exemplar deformatas in regione brianthea exstruxerunt ...*

Rutilius – ... *et ita porro : en habes causas cur ejus vita quasi lucis fuga et taedium haberi possit.*

Jovianus - *At Gaddus, vir prudens rationisque particeps, ut qui in Schola Politechnica Mediolaniensi doctor machinalis esset renuntiatus, persuasum certe sibi habebat nullum esse a mundo effugium!*

Rutilius – *Sed quemadmodum, teste Tullio, quidam animantes habent effugium pennarum, ita homines cordati litterarum habent, ut ad portum curae et aegritudinis confugiant. Confugiebat ergo ad litteras noster, id quod inde a puero consueverat, confugiebat ad latinitatis cultum, ut saeculi vulnera leniret. Etenim in Romanis virtutes illas reperiebat, quas aequalibus suis neglegi arbitrabatur: ingenitam inquam nobilitatem, modestiam, temperantiam, pudorem, constantiam; quarum quidem virtutum indicia non pauca in Romanorum deprehendebat sermone, sive oratio elaborata atque incitata excurreret, sive flueret sincera, comis, jejuna.*

Jovianus – *Anne Gaddus renatum se civem romanum esse sentiebat?*

Rutilius – *Rem acu tetigisti! Sic saltem opinor. Meministin Nicolai Machiavelli ad Vectorium amicum scribentis se demum, detracta veste luto sordida pannisque curialibus indutis, vesci pane, qui solum esset suus?*

Jovianus – *Teneo locum, quo Maclavellus narrat quid sibi solacii attulerint litterae veterum, quasi panem ad quem natus erat esurienti.*

Rutilius – *Simili modo Carolus Aemilius aegritudinem suam solabatur, ut puto; quem mihi fere videre videor exuta machinarii veste inter togatos togatum conversantem. Ceterum tam artus fuit usus et consuetudo cum Latinis suis, ut eos quasi contubernales existimaret, quicum dulce est horas subsequas transigere, consilia communicare jucundum. Hac in re dissideo ab Henrico Flores, obicienti quod Gaddus incuriose mendoseque locos veterum scriptorum protulerit, modo hoc modo illud demutando verbum, quasi nihil studeret nisi colore latino ornatum afferre orationi suae.*

Jovianus – *At ille, qua erat diligentia circa litteras, auctores exscribere ad verbum certo poterat, neque in ejus bibliotheca libri desiderabantur, quos inspiceret, si forte labaret memoria!*

Rutilius – *Recte ais, neque vero te fugit quam adsiduo limae labore vel singula commata polire sit solitus. Ego autem, secus ac Flores, arbitror a Carolo Aemilio locos illos consulto demutatos esse, quos non dubitavit vel contextui orationis aptare, vel obiter ita promere, ut forte venerant in mentem. Etenimvero non ei latinitas in eam religionem venerat, qua nonnulli emunctae naris grammatici capiuntur et illaqueantur; neque vero erat in eo erudita imitatio, qua doctrinam ostentaret suam, nec supervacaneum lenocinium, quo allicerentur legentes; sed quasi domesticus usus et consuetudo cum scriptoribus, in quorum familiaritatem, saeculum suum fugiens, insinuasse se sibi videbatur.*

Jovianus – *Tenesne, amice, fabellam aesopiam de dinosauro et lacerta ab ipso conscriptam? Cujus monitum opinionem istam tuam confirmare videtur. Audi sane. "Dinosaurus in Museo dormitabat, quum dorsum lacertae crusculis vellicari sensit; ac quidem lucida lacerta ex osse in os desultabat studii causa, dum primo mane corpus exercet. Dinosaurus: hodie mihi –inquit- cras tibi. O mythos deloi oti animantia parvula in magnos mortuos lubenter insiliunt."*

Rutilius – *Non poterat subtilius significari quid inter Gaddum et Latinos suos intercederet. Hinc enim, si recte considero, ille se minimum pro eorum magnitudine esse confitetur; hinc sperat aliquando se iis ascitum iri; interim ludens inter eorum reliquias gaudet.*

Jovianus – *Quae quum ita sint, Carolum Aemilium e syrti saeculi sui, quam valde horrebat, navi latina effugisse concludamus oportet.*

Rutilius – *Sic saltem fert opinio mea, Joviane, quae a tua non multo discordare videtur. Nunc vero finem faciamus dicendi, licet inviti: advesperascit enim et custodes hortorum cancella sunt mox clausuri, neque qua sunt gallica navitate moram ullam interponent ... nisi vero pernoctari cum noctuis volueris.*

Jovianus - *Neque cum anatibus quidem ! Surgamus ergo et hinc egredi maturemus.*

Rutilius – *Anates valete !*